



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 88. Quid sit jus gentium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

“ tum est: & Juris Civilis seu Politici, quod fun-
 “ datur in potestate seculari.

A D D E N D A.

605 Q. 28. Quid sit jus gentium. R.
 §. I. A multis malè describitur; nam 1. Juristæ jus naturale, jus gentium & jus civile ita distinguunt, ut dicant jus naturale esse, quod natura animalia docuit; jus gentium, quod ratio naturalis inter homines constituit, & quo omnes homines utuntur; jus civile, quod quisque populus sibi constituit: inde inferunt aliqui, jus naturale strictè, esse illud, quod præscribit tale quid, cui simile ipsa bruta faciunt ex instinctu naturæ; jus gentium, quod præscribit tale quid, cui simile bruta instinctu naturæ non faciunt, ita tamen clarum est, ut omnium propè gentium, quæ legibus utuntur, vel lege vel consuetudine fit receptum. *Sed contra* est, nam invidia, læsiones, neces, furta, fornicationes, coitus cum matre &c., sunt contra jus naturæ, & tamen fiunt à brutis: deinde jus naturale malè extenditur ad bruta, quæ non sunt capacia legum. 2. Alii dicunt jus naturale esse, quod sine discursu innotescit; jus gentium, quod per discursum necessariò è jure naturali sequitur. *Contra*; Dantur multæ leges naturales, quæ solo discursu innotescunt: deinde jus gentium non est in omnibus ita necessarium, quin mutuo consensu abrogari possit, uti patebit ex dicendis. 3. Alii dicunt jus naturale esse, quod obligat omnes homines nullâ factâ suppositione Societatis humanæ; jus gentium, quod obligat factâ tali suppositione. *Contra*; Fides conjugalis est juris naturæ, & tamen supponit Societatem hominum; idem est de honorandis parentibus, colendis benefactoribus &c. 4. *Vasq.* dicit

est jus gentium esse permissiones quasdam juris naturalis omnibus nationibus communes, uti quod liceat vim vi repellere. *Contra*; Datur jus gentium etiam obligatorium, uti postea assignabitur. Has omnes aliasque sententias pluribus confutat *Suar.* hic l. 2. c. 17. & seqq.

§. II. Jus gentium melius sic definitur; lex non scripta, quæ per liberam omnium aut ferè omnium nationum consensionem & usum recepta, vim obligandi habet, ita ferè *Suar.* & *Aversa* hic q. 94. l. 4. Dicitur, 1. *lex non scripta*, quod per modum generis ponitur: 2. *Vim obligandi habet per liberam consensionem*, per quod differt à jure naturali, cui licet sit vicinum & affine, eò quodd facile ex ipso formetur seu deducatur, uti rectè docet *S. Th.* 1. 2. q. 95. a. 2. & 4., ideoque dici possit esse aliquid quasi medium inter legem naturalem & positivam, reipsa tamen est potius lex positiva, uti docet *S. Th.* supra: 3. *Per consensionem & usum omnium ferè nationum*, per quod differt ab aliis legibus positivis, quæ non ita latè se extendunt ad omnes nationes, nec introducuntur per usum hominum, sed per dispositionem legislatoris: sic ad jus gentium spectant divisio bonorum, limites possessionum, receptio Legatorum, usus mercimoniorum, commercium litterarum: item ut non inficiantur aquæ, nequidem inter hostes; non venenentur herbæ aliaque ad sustentationem vitæ necessaria &c., de quibus omnibus plura videri possunt apud *Suar.* supra.

Q. 89. *Quæ lex sit pœnalis, & quid circa eam notandum.* R. 607.

§. I. Lex dividitur in moralem, pœnalem & mixtam: moralis est, quæ in conscientia & sub culpa Theologica obligat, non tamen sub pœna infligenda ab hominibus; pœnalis, quæ ratione sui immediate